



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Dispensatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

Quinto, defensiones debent dari, & quarari à iudice ex officio, & maxime quando videret reum indefensum, *Boll. tit. 4. de conf. n. 12.* & debent dari etiam convicto, etiam reo non petente, etiam sponte confessis, idem *ubi supra, n. 10.* § 14. *Et tit. de sent. num. 1.*

Sexto, quamvis iudex habeat amplum arbitrium, non potest denegare defensiones reo, idem *in tit. de inquisit. num. 2.*

### DISPENSATIO. SUMMARIUM.

- 1 Quae causa sine explicanda in impetratione dispensationis matrimonialis apud summum Pontificem.
- 2 An deur dispensatio inter fratrem & sororem in secundo gradu consanguinitatis.
- 3 Quid agendum quando matrimonium iam est contractum, & postea oritur impedimentum, & non potest fieri separatio.
- 4 Quae causa explicanda summo Pontifici pro impetranda dispensatione, si non habeat quis unam ex his.
- 5 Quando possit Episcopus dispensare ex causa, ubi alias Papam dispensare oporteret.
- 6 Quando conjugati consummarent matrimonium post datam, an dicerentur surreptitia impetratio, & quid si ante datam.
- 7 Qui examinandi testes pro informatione impedimenti, & graduum.
- 8 An possit Episcopus dispensare in impedimenti impedientibus, & non dirimentibus.
- 9 Qui gradus explicandi in impetratione.

**A**D primum. Vide Navar. *ca. 21. n. 87.* Prima est incompetencia dotis, Secunda, extinctio magnae lucis. Tertia,

angustia loci, quae potest esse duplex, vel quia major pars habitantium ibi, sunt ei consanguinei, vel affines, & extra illos non inveniret ita facile parem suae conditionis, vel quia si veller extra illum locum nubere, non haberet dotem sufficientem. Quarta, sedatio seu concordia inimicitarum, seu discordiarum. Quinta, quando vir dives vult ducere in uxorem sibi attinentem pauperem, constituendo illi dotem, istas causas addit *facr. Congregat. declar. 53.* & tam in tertio, quam in quarto gradu sufficiunt. Multas alias causas numerat Navar. *conf. 13. de consanguin. & affin.* quae faciunt attinentem Principis ad dispensandum, non solum in matrimonio contrahendo, sed vel iam de facto contracto, prima est ignorantia iuris, secunda maior utilitas, tertia proles habita, quarta diuturnitas matrimonij male contracti, quinta scandalum grave, sexta mortis evitatio, septima miseria puellae indotatae.

Ad secundum. In secundo gradu affinitatis, vel consanguinitatis non dispensatur nisi inter magnos Principes, ob publicam causam. Nav. *loc. citat.* Staph. *de lit. grat. fol. 313. n. 7.* & quomodo intelligatur secundus gradus in collateralali, vel descendenti inaequali, vide *Rebuff. in reg. de dispensat. in grad. probu. gloss. ult. n. 8.* tamen hodie vidi dispensari in utroque gradu inter Barones, & titulos regni Neap. & in hoc disposuit Gregorius XIII. videatur in Bulla sua die prima Martij 1591. & Bul. Paul. IV. quae est 16. & incipit: ab e ipsa die, & Clem. VII. quae incipit: Quia plerumque.

Ad tertium. Respondetur, quod prima est,

est bonum pacis, & sic dispensatur in matrimonio contracto inter incapaces ex defectu ætatis. c. 2. de dispens. impub. Secundò, quando ex separatione verisimili oriretur scandalum, c. quia circa, de consanguin. & affin. Selva tract. de benef. 3. par. 9. 10. nu. 11. Gom. in cap. 1. nu. 132. de constit. lib. 3. quando orta esset proles, & longo tempore fuit perseveratum in matrimonio contracto de facto, tunc dispensatur, ut primum permaneat, c. de gradib. 35. q. 8. quando mulier remaneret perpetuò diffamata, ista clausula est solita apponi in dispensationibus, quæ conceduntur post matrimonium contractum de facto. Circa hoc est animadvertendum, ut notat Navar. loc. cit. n. 86. quòd per huiusmodi dispensationes non convalidatur matrimonium jam contractum, nisi denuò contrahatur: quod tamen clam contrahi potest, quia non requiritur solemnitas sacri Concilij, modò fuerit priùs adimpleta.

Ad quartum, Primò responderetur, quòd nullam quis haberet contrahendi cum sibi consanguinea, vel affine, potest impetrare dispensationem à sum. Pontifice, narrando veritatem. Felin. in c. ad audiendam, colum. 4. de rescript. Rebuff. tit. de dispens. ad plur. benef. nu. 52. quicquid dicat Covar. 2. par. de sponsal. cap. 6. 9. in fine.

Secundò, si nullam habens causam, narrat falsam causam pro impetratione, vel exponendo falsum, vel tacendo verum, nulla esset dispensatio, licet eam obtineat, quia vel obreptitiè, vel subreptitiè impetraretur, prout in c. fin. de fil. presb. li. 6. Covar. loc. cit. §. 10. n. 14. facit cap. super litteris, de rescript. & Bulla Pij V. quæ est 26. & incipit, Cum sicut, de verit. exprime. in dispensat. matr.

Tertiò, si quis consummaret scienter matrimonium cum sibi attingente muliere, & postea impetraret dispensationem, hoc tacito non valeret dispensatio, c. dilectus, de rescript. Rebuff. in pract. benef. tit. de different. inter rescript. grat. & iust. n. 9. sed Navar. consi. 8. de consang. & affin. & consi. 8. de cogn. spirit. sentit oppositum, nempe, quòd non sit opus explicare incestum, & consi. 1. n. 49. de constit. nisi quando fieret ut secum faciliùs dispensetur, prout nos etià superiùs diximus. Sed hic nota, quòd licet nostra fuerit sententia, nimium non valere dispensationem, suppresso, seu tacito, seu non narrato incestu, & licet Navar. locis cit. fuerit contrariæ opinionis, tamen Apostilla, sive Appendix in consi. 9. de consang. & affin. in impressione facta Romæ 1592. habentur hæc verba: *Adverte, quia refertur Congregationem censuisse consanguineos, vel affines, qui tacitâ copula, obtinuerunt dispensationem super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, esse surreptitios, & matrimonium postea contractum, esse nullum. Cui sententiæ videtur etià imple D. Navar. postea adhæsisse in quarta editione sui Manual. Confess. c. 22. nu. 86. in fine, & ita observat praxis.*

Quartò, quòd quando intervenit incestus inter consanguineos, qui impetrant dispensationem à Papa super impedimento, eâ obtentâ, requiritur dispensatio, vel potiùs absolutio Episcopi super incestu, Navar. consi. 8. 9. & 10. de consang. & affinit.

Quintò, si quis consummat matrimonium, ad hoc, ut faciliùs secum dispenseetur,

X 2

si non

si non explicat utrumque, nulla est dispensatio, Covar. *loc. cit.* §. 10. *num.* 14. & Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de refor. matr.* ubi vult, ut careant spe omni consequenda dispensationis, & in hoc debent artgere aures omnes locorum Ordinarii prohibendo cohabitationes sponforum, antequam veniat ab Urbe dispensatio. Clem. VII. Bulla 7. quæ incipit. *Quia plerumque.*

Ad quintum. Conclusio est, nec Episcopum, nec Legatum de latere posse in hoc dispensare, in *c. non de consanguin. & affin.* Covar. *loc. cit.* *numer.* 11. tamen hoc fallit, quando occurreret casus cum his sex circumstantiis. Prima, ut matrimonium jam sit contractum. Secunda, ut sit contractum ignoranter, quoad impedimentum. Tertia, ut sit consummatum. Quarta, ut impedimentum sit occultum. Quinta, quod contrahentes sint adeo pauperes, quod non possint mittere vel ire ad sum. Pont. vel ad Nuntium Apostolicum habentem hanc potestatem. Sexta, quod si fieret separatio, verisimiliter scandalum oriretur, in hoc casu posset Episcopus dispensare, ac si esset à Papa impetrata dispensatio, & est communis opinio, Navar. *c.* 22. *n.* 85. Soto 4. *sent. dist.* 37. *quest. unica, art.* 2. Sylvest. *in ver. dispensatio*, §. 9. Armil. *eo. ver. nu.* 19. & dum ego haberem hunc casum, ita fuit mihi ab Urbe responsum, Rebuff. *in de dispensat. ad plur. benef. nu.* 30. & infra, facit quod Episcopus ex magna causa potest dispensare contra Concil. generalia, Staph. *f.* 80. *nu.* 6. Navar. *cons.* 14. *de consang. & affin.*

Ad sextum, accedit frequenter casus,

quod contrahentes sanguine se attingentes, dum mittunt pro impetranda dispensatione, consummant matrimonium post datam, id est, post expeditionem supplicationis (nam si antè consummarent, non valeret dispensatio, prout dixi in §. 4.) quaeritur, an valeat dispensatio? Et videtur primò quod non: nam Papa non videtur dispensare ex tunc, sed committit Vicario generali in partibus, ut si preces veritate nitantur, & ser vatis alijs de jure ser vandis, nomine sedis Apostolicæ dispense ex nunc.

Secundò, quia per solam supplicationem gratia dicitur informis, Conclusio: his tamen non obstantibus, dico, quod nondum confectis literis valeret dispensatio, sola supplicatione expedita. Ratio est, quia tempore data & expedita supplicationis incipit currere gratia, *c. si eo tempore, & ibi gl. in ver. cum tempore, de refo. l.* 6. *& c. eam te, & ibi gl. in ver. data, eo. in extra, & c. cum quis, de prabi. l.* 6. vide Gemin. *in proem. Sicuti lib. Decretal. §. univ. stat. ver. quæro an gratia Papa, ubi videtur dicere, quod sic, ubi non esset iurisdic. Nec obstat primum, quia revera Vicarius non dispensat, sed exequitur, quod sibi à summo Pontifice fuit in junctum, adeo quod est potius exequutor, quam dispensator. Nec obstat.*

Secundum, quia valet in foro exteriori, etiam quando adest præjudicium tertii, nempe officialium Curia, si quis vellet sola supplicatione uti, & non expedire literas, prout dixi in *ver. Bulla*, vide Innoc. in *c. postulasti, numero 2. de refo. sed urget. data Papæ quomodo. Respon-*  
detur,

deur, quòd licet in literis non appareat data literarum, tamen per alias literas posteriores ejusdem Papæ probatur, in quibus facit mentionem de literis primis, Caputaquens. *decisio. 236. par. 1.* Sed urget quis, si Vicarius capiens informationem reperiret matrimonium jam fuisse consummatum, post tempus datæ, & de hoc non factam fuisse mentionem in expeditione literarum, non valebit dispensatio. Respondetur affirmativè, quia gratia Principis valet in foro interiori etiam sine literis, prout dixi *suprà*, in verbo *Bulla*, & Vicario delegato sufficeret se informare de requisitis in literis: delegatus enim ultra delegatam sibi datam auctoritatem, non potest se extendere, c. 1. *de offic. deleg. c. super eo, c. consulti, cum vulgatis aliis, eo. tit.* Sed Papa committit, ut se informet de contentis in literis, in quibus nulla mentio fit de consummatione cum non præcesserit, sed subsequuta est supplicationem; ergo poterit dispensare juxta feriem literarum, *cap. cum dilecta, de rescrip.* tamen tene quòd dixi *superius*, §. 4. ex Navar. multis in consiliis ibi citatis, & quæ nuper addidimus, & ita observes in practica, nisi consummasset scienter spe faciliùs consequendæ dispensationis, propterea quòd dictum est Episcopum sive ejus Vicarium acceptâ Bullâ non verè dispensare, sed potiùs esse exequutorem Papæ, dic cum Nav. *conf. 5. qui fil. sunt leg.* ubi ait, quòd qui impetratâ Bullâ super dispensatione matrimonij, eaque præsentatâ Episcopo, vel ejus Vicario, si ante informationem captam, & latum decretum per eundem Episcopum, vel

Vicarium consummat matrimonium, & procreat filios, illi non sunt legitimi, quia adhuc secum non est dispensatum.

Ad septimum. Vide in *ver. matrimonium*, in §. *quia superius*.

Ad octavum. Quot sint impedimenta, impediencia solum & non dirimentia, vide Sylvest. in *verb. matrimonium*, 7. §. 6. & Sot. 4. *sent. dist. 37. q. unica, art. 1.* & Navar. c. 22. nu. 85, ubi habetur posse Episcopum dispensare super omnibus impedimentis solum impediencia exceptis tribus, à castitatis, Religionis, & de non nubendo, & de hoc tertio idem asserit Cajet. in *opusc. fol. mibi 94.* tamen Navar. tenet, quòd in hoc posset etiam Episcopus dispensare, in *cap. 12. num. 79.* oblitus fortassis, quòd oppositum dixit in loco priùs citato, & dicit hanc esse opinionem Ant. Ang. & Sylvest. Soto 4. *sent. dist. 38. q. 1. art. 1. conclus. 1. in fin.* at in voto castitatis temporaneæ potest Episcopus dispensare; in perpetuo etiam potest, quando quis non posset adire Romam, prout dixi *superius*, §. 5. Sylvest. *loc. cit. §. 5. vers. quantum autem, & in vers. debitum conjugale*, §. 9. & hoc antequam contrahat, sed post contractum, potest dispensare, Soto *loc. cit. dist. 37. q. unica, art. 2. col. penult. vers. & per hoc respondetur*, & Sylvest. *loc. cit.* dicit hanc esse etiam opinionem Guliel. & Soti, *dist. 38. q. 2. art. 1. col. fin. concl. 3. in fine*, videtur sentire cum Sylvest. videlicet, si non pateat accessus ad Urbem, vel cum causa urgenti, quoad petitionem debiti, nam quoad redditum, non est opus dispensatione, prout patet, Soto *ibidem, col. penult. in fin.*

Ad nonum. Sufficit exponere remotiorem gradum, Covar. *loc. cit.* §. 10. num. 12. Bulla Pij V. de hoc edita, & publicata Romæ anno 1566. die 20. Augusti, & Pii IV. Bul. 137. quæ incipit, *Santissimus*.

Hic est dubium primum, an dispensatio matrimonialis obtenta ab illo, quæ communiter reputabatur habere facultatem concedendi has dispensationes, ut annis elapsis Commissarius principalis fabricæ divi Petri fertur habuisse, qui tamen illam facultatem re vera non haberet, valeat? Respondetur affirmativè, Anchar. *confi.* 409. Addit. ad decis. Rotæ. 2. *de fil. presb. n. 2. in novis* ubi dicit sic fuisse decisum in quadam causa in factò, & licet aliquando Commissarij fabricæ sancti Petri de Urbe, & sancti Spiritus, habuerint hanc dispensandi facultatem, ut testatur Pius IV. Bulla sua 78. quæ incipit, De commissa: tamen hanc revocavit idem summus Pontifex eadem Bulla, de qua hic agitur, & in hoc casu sanctissimus dominus noster Clemens VIII dignatus est argumentari mihi, dum examinabar coram sua Beatitudine die 10. Decembris.

Secundum dubium, an liceat tempore feriarum ducere uxorem ad domum viri; Respondetur affirmativè, Navar. *c. 22. n. 71. Cajet. in sum. in verb. Nuptia, & in verbo Matrimonium. §. septimum caput*, quicquid dicat Sylvest. *loc. cit.* modo hoc fiat sine solenni sacerdotali benedictione, & alijs solennitatibus, pro quo videri etiam potest Conc. provinc. Mediol. V. *de sacramen. matrim. fol. 128. §. ne quis*.

Tertium dubium, in dispensatione, vel rescripto tacetur veritas, ob quæ causetur surreptio, etiamsi ignoranter causetur vitium, ad eò quòd non valet, Decius in *c. constituimus. 2. notab. de rescrip.* Aymo Craver. *confi.* 8. Rebuff. *de different. inter rescrip. grat. & iust. num. 2.*

Quartum dubium, an in impetratione dispensationis in gradu affinitatis, sit necessaria expressio impedimenti iustitiæ publicæ honestatis? Vide Boer. *decis.* 263 numero 38.

Quintum dubium, an sit necessarium denuò matrimonium contrahi ab his, inter quos nullum erat prius matrimonium, ob aliquod impedimentum, mox exortum adveniente dispensatione? Vide Boer. *ibidem, num. 26. & Navar. cap. 22. n. 70. notab. 4.* ubi dicit ita declarasse Pium V. nempe, non esse necessarium, & hoc quando impedimentum esset occultum.

Sexto, dispensatio præsumitur inter conjuges, qui in gradu prohibito contraxerunt, si per decem annos, & ultra in matrimonio vixerunt, & mortui sunt, imò temporis diurnitas facit, quod proles illegitima, pro legitima habeatur, concurrente probabili ignorantia, Abbas in *c. referente, notab. ult. qui fil. sint legit.* Caputaq. *dec. 269. par. 1. & decis. 25. 2. par.*

## D I E S.

PRIMO, dies consideratur quoad indulgentias, quoad escam carnis, & quoad divina officia, & observationem festorum, vide Tiraq. *de utroque retract. tit. 1. §. 1. gloss. 2. nu. 13.* licet multa remissivè, & quoad indulgentias, alibi servatur de stylo, ut à primis vesperis usque ad